



The Holy See

PAULUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM CONSTITUTIO APOSTOLICA *BONAËRENSIS - PLATENSIS DIOECESES**
AVELLANEDIENSIS ET CLIVI ZAMOERENSIS,

A IURE METROPOLITANO ARCHIDIOECESIS PLATENSIS SUBTRACTAE, ARCHIDIOECESI BONAËRENSI
ATTRIBUUNTUR;

ITEM DIOECESES MERCEDENSIS ATQUE NOVEM IULII,

AB HAC SEPARATAE, ILLI SEDI ADDICUNTUR. Qui divino consilio in summo totius Ecclesiae fastigio idcirco constituti

sumus, ut plus quam ceteri omnes in Christi gregem certa dilectionis documenta daremus, in id profecto multam curam
operamque conferimus, usquequaque, ut non solum christianorum animos disciplina fidei et religionis egregie

instituiamus, verum etiam ut vel in rerum Ecclesiae externarum procuracione nihil diligentiae praetermittamus. Quam ob
rem, cum venerabilis Frater Humbertus Mozzoni, Archiepiscopus titulo Sidetanus idemque in Republica Argentina

Apostolicus Nuntius, ab hac beatissima Petri Sede petiisset ut archidioeceses Bonaërensium atque Platensium aptius

ordinarentur: id enim tum ecclesiasticam disciplinam corroborare praevideri, tum christianam fidem atque in Christum
religionem censuimus bene posse eius expostulationi concedere, christianorumque commodis in servire. Quae cum ita

sint, re digna reputatione considerata, de sententia Ordinariorum locorum deque consilio venerabilium Fratrum

Nostrorum S. R. E. Cardinalium Sacrae Congregationis Consistorialis praepositorum, haec decernimus. Subtractas per
has Litteras a iuris dictione Archiepiscopi Metropolitanae Platensis dioeceses Avellanediensem et Clivi Zamoerensium,

Archiepiscopi Bonaërensium iuris dictioni metropolitanae subicimus; vicissim iuris dictione huius sacri Praesulis dioeceses
Mercedensem atque S. Dominici Novem Iulii eximimus, easque illi, scilicet Platensi addicimus. Idque in perpetuum.

Ceterum haec quae mandavimus, venerabilis Frater Humbertus Mozzoni ad exitum adducet, vel quem ille legaverit.

Actae vero rei documenta exarentur, quorum sincera exempla ad Sacram Congregationem Consistorialem cito

mittantur. Hanc vero Constitutionem nunc et in posterum efficacem esse et fore volumus; ita quidem ut quae per eam

decreta sunt ab iis quorum res est religiose serventur, atque igitur vim suam obtineant. Cuius Constitutionis efficacitati

nulla, cuiusvis generis, contraria praescripta officere poterunt, cum per eam iisdem derogemus omnibus. Nemini

praeterea haec voluntatis Nostrae documenta vel scindere vel corrumpere liceat; quin immo huius Constitutionis

exemplis et locis, sive typis impressis sive manu exaratis, quae sigillum viri praeferant in ecclesiastica dignitate constituti

simulque ab aliquo publico tabellione sint subscripta, eadem omnino habenda erit fides, quae huic haberetur, si

ostenderetur. *Datum Romae, apud S. Petrum, die quinto mensis maii, anno Domini millesimo nongentesimo sexagesimo*
septimo, Pontificatus Nostrae quarto.

Pro S. R. E. Cancellarius

HAMLETUS I. Card. CICOGNANI

CAROLUS Card. CONFALONIERI

S. Congr. Consist. Pro-Praefectus

Franciscus Tinello

Apostolicam Cancellariam Regens Iosephus Rossi, Ep. tit. Palmyrenus, *Protonot. Apost.*

Ioannes Calleri, *Protonot.*

Apost.

*A.A.S., vol. LIX (1967), n. 17, pp. 1107-1108 © Copyright 1967 - Libreria Editrice Vaticana

Copyright © Dicastero per la Comunicazione - Libreria Editrice Vaticana